



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

V. De vers. 5. Scuto circumdabit te veritas eius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

In Psalmum XC. Qui Habitat, Serm. IV. 503

De protectione quoque idem ait Propheta iste ^k. *Obumbrasti super caput meum in die belli*. Sicut enim videns venientem accipitrem mater expandit alas suas, ut pulli subeant, & habeant tutum refugium: sic nobis parata, & quodammodo dilatato sinu extensa est summa illa & ineffabilis pietas Domini nostri. Unde & supra dixit: *Quoniam refugium meum es tu*. Jam verò sub ipsis quoque scapulis & umbraculum salubre & protectionem habemus. Sicut enim iste corporeus sol licet bonus sit & valde necessarius, tamen & fervor eius si temperatus non fuerit, infirmo capiti, & splendor infirmis oculis nocet, nec est solis culpa, sed infirmitatis: sic etiam sol justitiæ est. Unde & dicitur: *Noli nimium justus esse* ^l. Non quod justitia bona non sit, sed quia dum adhuc infirmi sumus, oportet ipsa bona gratiâ temperari, ne fortè elationis aut indiscretionis vitium incurramus. Quid est quòd incessanter orantes & supplicantes non possumus ad eam quam desideramus gratiæ abundantiam pervenire? Putatis quia avarus aut inops factus est Deus, impotens aut inexorabilis? Absit hoc, prorsus absit: sed ipse cognovit figmentum nostrum, & scapulis suis obumbrat nobis. Non tamen à petitione propterea cessandum est, quia etsi non dat ad satietatem, dat tamen ad sustentationem, etsi cavet nobis à fervore nimio, tamen fovet nos tanquam mater calore suo. Hoc est enim quartum quod diximus sub scapulis eius nobis præstari, ut tanquam pulli in calore materni corporis foveamur, ne foris vagantes moriamur, refrigerante nimirum charitate; quæ non diffunditur in nobis nisi per spiritum qui datur nobis. Sub his igitur pennis eius securus sperabis, ut videlicet de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum.

2. Protectio.
k Ps. 139. b*

3. Obumbratio.

l Eccl. 7. c*

Cur Deus par-
cius subinde
det quod ho-
mo desiderat.

4. Nutritio
sive educatio.

S E R M O V.

De *ψ*. *Scuto circumdabit te veritas eius.*

Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Et quis hoc dixerit, scitis; & tempus scitis; Domini enim est verbum istud instante jam passione sua ^a. Et attendite quoniam ipse quidem erat passurus, & non Discipuli: nec tamen pro se dicebat orandum, sed pro illis. Unde ad Petrum ^b. *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Si tantum illos oportebat timere in passione Domini, quantum nobis timendum est, Fratres, in passione nostra? Vigilate proinde & orate, ut non intretis in tentationem; quoniam undique circumdati estis tentationibus. Unde & legistis ^c, quia *tentatio est vita hominis super terram*. Itaque si tot tentationibus plena est vita nostra, ut non immerito

a Marc. 14. d

b Luc. 22. d

c Job. 7. a

Rrr 3

tota

*Tentatio est
vita hominis.
Contra eam
scutum oratio.*

tota ipsa tentatio debeat appellari : pervigili circumspectione opus est, & oratione, ne inducamur in eam : Unde est & illud in oratione dominica; *Et ne nos inducas in tentationem* ^d. Quia ergo undique sic circumdatus es tentationibus, scuto circumdabit te veritas eius; ut quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. In quo & omnino illud manifestum est, spirituale scutum esse oportere quod circumdare potest. Veritas autem circumdat, quia verax qui promittit, sic exhibet ut promittit, & *2. Cor. 10. c* *Fidelis Deus*, ait Apostolus ^e, *qui non patietur vos tentari supra id quod potestis.*

Non incongrue sanè scuto comparatur gratia divinæ protectionis, quod in superiori parte amplum & latum est, ut caput humerosque custodiat; in inferiori vero strictius, ut minus oneret, maximè quod graciliores sint tibiæ, nec tam facile vulnerentur; sed nec adeo periculosum sit illis in partibus vulnerari. Sic omnino sic militibus suis Christus ad inferiora tuenda, id est, carnem, magnam ut ita dixerim, strictitatem atque penuriam rerum temporalium donat; nec vult eos illarum multitudine prægravari, sed ut *victum & vestitum habentes*, quemadmodum, ait Apostolus ^f, *his contenti simus*: in superioribus vero ampliorem latitudinem, & abundantiam gratiæ spiritualis. Sic enim habes *g*. *Primum querite regnum DEI & iustitiam eius & omnia adjicientur vobis.* De victu utique dixit & vestitu. Unde dixerat sollicitos esse non debere. Nam & hæc ipsa Pater noster cælestis benignissima pietate ministrat, ob duplicem scilicet causam: ne vel omnino crederemus infensum, si ista negaret, & sic desperaremus: vel illorum nimia sollicitudo, spiritualis exercitii fieret detrimentum. Sine his enim neque vivere, neque Deo servire est. Cæterum quanto strictius, tanto melius.

Itaque *scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & demonio meridiano.* Hæ sunt quatuor tentationes quibus undique circumdari necesse habemus; circumdari etiam scuto Domini, ut sit nobis à dextris & à sinistris, ante & retro. Hoc enim præmonitos vos esse volo, neminem super terram absque tentatione victurum, ut eui forte tollitur aliqua, alteram securus expectet: aut forte non securus sed pavidus magis, & sic petat ab ea liberari, ut nunquam sibi in corpore mortis huius libertatem perfectam seu requiem audeat polliceri. Qua in re consideranda est nobis tam benigna erga nos divinæ pietatis dispensatio, ut quibusdam nos tentationibus patiatur diutius occupari, ne sortè periculosiores occurrant: ab aliquis verò citius liberet, ut possimus in aliis quas nobis utiliores fore prævidet exerceri. Verum considerandum nobis est (sed non modo

f 1. Tim. 6. b
**g* Matt. 6. d
*Deus sui re-
rum tempora-
lium non af-
fluentiam, sed
sufficiantiam
tribuit.*

*Nempe super
terram sine
tentatione,
quoniam una re-
cedente, succedat alia.*

*Dei providē-
tia in mode-
randis tenta-
tionibus.*

In Psalmo XC. Qui Habitat, Serm. VI. 505

modo) quæ sint istæ quatuor quas hic ponit. Credo enim quod in hoc ordine quo hic numerantur, contra eos qui convertuntur insurgunt, & velut principes sunt omnium tentationum.

S E R M O VI.

De altera parte Verf. V. *Non timebis à timore nocturno.* & de Verf. VI. *A sagitta volante in die &c.*

S Olet in divinis Scripturis adversitas designari per noctem: & scimus quia adversus eos qui convertuntur, primum esse certamen de molestiis corporis consuevit. Caro enim hæcenus indomita, castigari & in servitutum redigi nequaquam æquanimiter patitur, sed adhuc memor recens perditæ libertatis acrius concupiscit adversus spiritum, maximeque in his pœnis, in quibus estis vos quotidie morientes; immò verò morte affecti tota die, quæ & supra vires sunt, & ultra naturam, & contra consuetudinem vestram. Quid igitur mirum? Turbant ista maxime eos, qui necdum consueverunt, necdum satis in promptu habent recurrere ad orationes, resurgere ad meditationes sanctas, ut sic relevetur diei pondus & æstus. Necessarium plane nobis inter ipsa nostræ conversionis initia scutum Domini, ut non timeamus à timore nocturno. Bene autem dicitur non timendum à timore nocturno, & non dicitur à nocte, quia non ipsa afflictio tentatio est, sed magis timor ipsius. Nam & omnes laboramus, cum tamen non omnes inde tentemur: & qui tentantur, multo magis timore futuræ pœnæ, quam præsentis dolore læduntur.

Quia ergo timor ipse tentatio est, congrue dictum est ei qui circumdatur scuto Domini, quòd à tentatione hac non timebit. Fortè impugnetur, fortè tentabitur, fortè timebit noctem, sed non ei timor iste nocet. Magis autem si non fuerit dominatus, tunc immaculatus erit, & emundabitur, sicut scriptum est *a*, quia *terrati purgabuntur*. Caminus est timor iste, sed ut examinet non exurat, veritas facit. Nocturnus planè & tenebrosus timor, sed facile hunc radius veritatis exuperat. Ingerit enim oculis cordis *nunc* quidem peccata quæ fecimus; ut quemadmodum de se Propheta ait *b*, etiam nos in flagella parati sumus, annunciantes iniquitatem nostram, & cogitantes pro peccato nostro: *nunc* verò æterna supplicia quæ meruimus, ut in eorum comparatione quæ evadimus, univèrta quæ patimur delicias reputemus: *nunc* quoque cœlestia præmia ad quæ tendimus, crebro videlicet memorantes, quoniam non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis *c*; *nunc* etiam ea quæ pro nobis pertulit Christus, ut crebro considerantes

Primum certamen incipientium.

Initio conversionis carnis luctu molestior.

a Job. 41. c
1. Tentatio. Timor nocturnus; i. e. Pusillanimitas, & timor laborum: ad hanc vincendam, valet
1. Recordatio peccatorum.
b Psal. 37. c
2. Suppliciorum infernalium:
3. Cœlestium præmiorum.
c Rom. 8. d
4. Passionis Christi.